



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1658**

§. 176. Dicit Matri suæ mulier, Ecce filius tuus. v. 27.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45556**

in Deum fac obsecro ut nunquam à te redamando deficiam, imiter in caritate, sed adhuc magis in caritate, donec occurram tibi in plenitudine lucis & dilectionis æternæ. Amen.

§ 176. Dicit Matri suæ mulier, Ecce filius tuus. v. 27.

Cum staret mater Iesu iuxta crucem corpore & animo, facie ad faciem filij conversa, uti luna ad solem & eius dolores in se exprimens magis eligens vel portare dolores vel cum ipso mori quàm post eius mortem ulterius vivere pulchre, filius eam novis filijs beavit; nam S. Ioannem, qui se iuxta crucem omnium fidelium, maxime caste viventium nomine constituerat matri commendavit & in filium delegavit, & sic in eo omnes homines B. V. dedit in filios doloris sui.

Quid hic facies ista recogitans anima mea? vis tibi gaudere? sed plus est, quod omnes homines tecum ceperunt tantum boni, ut fierent sub cruce B. M. V. filij secundo geniti, fratris primogeniti Christi, in S. Ioanne virgine virgini Mariæ commendati. Vis gratulari omnibus hominibus quod talis matris sint facti filij, communicantes in S. Eucharistia sanguini & carni de B. M. V. assumptis? sed urget magis gratiarum actio ad D. N. Iesum Christum qui hoc mirandum opus fecit, ut fieremus filij virginis Mariæ, & ipsa esset nostra mater. Sed & urget gratiarum actio & honor debitus V. Matri, quod tam abiectos homunciones ipsa non fastidierit assumere in filios. O quanta mysteria nobis S. Ioannes proponit in suo sermone! Deficimus omnia explanare nequimus. Bonum est hoc nobis redundare in nobis pietatem Dei.

§ 177. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. v. 27.

Quia condebat de cruce testamentum Christus & matrem moriens desolutam non reliquit, sed non amici sui Ioannis & cognati est oblitus, iuxta matrem & discipulam dividere pietatis officia, quo ad ipsos unpersonas, sed si mysterium huius dispositionis testamentariæ profundius inspicimus grandius quid sonant ista Christi verba. Nam uti B. V. in persona S. Ioannis dedit omnes homines in filios spirituales, ita ob eam necessariam coherentiam, nos omnes in S. Ioannis persona voluit B. V. assumere in matrem. Tibi igitur & mihi, ô Christiane, in cruce dixit Dominus, de B. V. intelligendo: *Ecce mater tua*. Quid hoc verbo amœnius interpretatum lætitiæ nobis dici potuisset? quid utilius?

R 3

O Deus